



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Prælvdivm. De objecto, proprietatibus, & partibus Ethicæ scientiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

PHILOSOPHIÆ PERIPATETICÆ LIBER TERTIVS:

S I V E

PHILOSOPHIA MORALIS.

Ad libros decem Aristotelis ad Nicomachum.

P R O L O G V S.

Moralis
dignitas.

EXPLICATA Physicâ vniuersâ, moralem aggredior disciplinam, quæ sola est scientia optimi, & optima, inquit Plato; quia est ars agendæ vitæ, vt eam appellat Epictetus, & hominem informat vt optimus sit. Illa est, quæ coloribus pingit animam, vt Deo similis euadat; ad felicitatem erudit, vt in optimo conquiescat; mores instituit, & beatitudinem dum promittit, attribuit. Aliæ disciplinæ vel supra nos sunt, vt Physica, inquit Ariston apud Stoicorum; vel nihil ad nos spectant, vt Dialectica; sola pertinet ad nos disciplina morum, per quam boni & beati sumus.

Ratio Ari-
stotelis.

Laudes omnes huius scientiæ paucis & eximie complexus est Aristoteles *lib. 1. Ethic. cap. 1. & 2.* Cum enim ostendisset omnium scientiarum & artium necessariò dari fines, qui sint aliquod bonum, sed eos varios esse, aliosque aliis meliores, vnum demonstrat dari finem omnium optimum, qui reliquos omnes contineat, & propter quem solum illi sint expetibiles; vocaturque humanum, imò summum bonum, cuius cognitio & destinatio totum humanæ vitæ negotium esse debeat. Vnde concludit, moralem scientiam omnium esse scientiarum optimam, & præstantissimam; architectonicam videlicet & dominam aliarum omnium, cuius finis est summum illud bonum, complectens & regulans fines scientiarum & artium omnium; atque adeò de summo bono summè bona est. Hanc ego vt tradam accuratissimè, vnum impeditissimæ viæ ducem sequor Philosophum, qui doctrinam hanc totam mirabiliter tradidit libris decem Ethicorum ad Nicomachum. Huius ergo rationibus velut adhibita face, totam tractationem hanc sic illustro, vt nullâ nisi Aristotelicâ face resplendere possit.

P R Æ L V D I V M.

De obiecto, proprietatibus & partibus Ethicæ scientiæ.

Nomen
Moralis.

MORALIS nomen patet à moribus deriuari; mores autem actus sunt voluntatis liberæ conformes, aut difformes rationi. Moralis ergo appellatur scientia, quæ versatur circa liberos actus voluntatis, traditque modum, quo illi fieri debeant vt conformes sint rationi; ex quo difficilè non erit colligere quodnam sit obiectum huius scientiæ proprium, quales eius proprietates & partes.

Obiectum
Moralis.

Dico primò proprium obiectum scientiæ moralis esse operationem voluntatis humanæ liberam, prout recta faciendâ est, & conformis naturæ rationali ac rationi; seu actus virtutis, & ipsa virtus.

Probatum ex Aristotele. Ratio traditur à Philosopho *lib. 1. Ethic. cap. 1. & 2.* vbi tria probat; primò quod omnis ars &

A scientia aliquem habet finem propositum, ad quem per omnes actus suos tendit; omnis enim doctrina & ars, & actus, & executio tendunt in bonum aliquod; bonum enim est id quod omnia appetunt: illud autem quod appetitur vt bonum, est finis: omnis igitur ars & doctrina proprium finem & obiectum habet. Secundò probat fines eos esse varios, & alios aliis meliores ac præstantiores; quia inter artes quædam seruiunt aliis, quæ sunt respectu earum architectonica; quia earum fines regulant fines aliarum; ad ipsas enim dirigitur, vt frænofactoria ad equestrem, equestris ad militarem. Tertiò probat finem scientiæ moralis eum esse qui regulat alios omnes fines; est enim architectonica scientia, magistra reliquarum omnium, propter quam appetibiles sint aliæ omnes scientiæ, & artes. Finis ille non potest esse nisi quod est summè homini bonum, seu operatio virtutis, quâ nihil homini est magis expetibile, & ad quam omnia debent dirigi; nihil enim homini est melius, quam esse bonum. Igitur operatio rectè faciendâ, seu actus virtutis, & virtutes ipsæ, sunt obiectum huius scientiæ. Vnde rectè monet Seneca *epist. 88.* ceteras disciplinas eatenus conducere, si præparant ingenium,